

## ANNIVERSARIUM.

## 1) Consecrationis.

## a) Episcopi.

Vd. *Consecratio Episcopi* (annivers.).

## b) Pontif. Maximi.

Vd. *Electio et Consecratio SS. Pontif.*

## 2) Creationis et Coronat.

*SS. Pontificis.*

*Ad dubium:* Utrum in Anniversariis creationis, et coronationis Summi Pontificis pro tempore regnantis, in universa Ecclesia dici possit vel debeat in Missa Oratio: *Deus omnium Fidelium?* Et quatenus affirmative, an haec Oratio dicenda sit in Festis I., vel II. Cl.?

Emus itaque ac Rinus Dom. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen... rescribi mandavit:

„Collecta pro Summo Pontifice in diebus creationis et coronationis dici debet, et sub unica conclusione in duplicibus II. Cl.“ N. 4928 sine Dato. (Esse videtur dies 22. Maji 1841).

## 3) Defuncti.

## a) An Alia missa substitui potest?

Vd. *Missae vot. de Sancto* (formula, decr. n. 4119). *Missae de Requie* (alia subst.).

Obitus die impedito non potest pro defunctorum anniversario cantari missa de currenti die vel fer. privileg. per applicationem. n. 4237 ad 3 die 22. Dec. 1753.

Specialiter idem quaeritur (missam de currenti etc. loco anniversarii celebrare) de anniversariis, quae occurrunt absolvenda circa *quatuor tempora*, Paschalia et infra octavam Pentecost., et non possunt omnia absolvi aut finiri ante octavam SSmi Corp. Chr.?

S. C. resp.: Indulgeri posse, (non relicta tamen missa in cantu de festo

duplici minori occurrente, quatenus adsit obligatio cantandi). n. 4237 ad 4 die 22. Dec. 1753.

In quibusdam Anniversariis, die e. g. IV. Nov., et quum non sint Anniversaria, nec celebrari potest Missa *de Requie* (eo quod non adsit obligatio applicandi Missam Conventualem in diebus ferialibus) canitur Nocturnum, deinde Absolutio circa Tumulum peragitur, et postea Missam Conventualem canunt de Festo, quod occurrit, applicando illam pro Defunctis cum Tumulo ante Aram, et cereis accensis.

Et S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Posse, dummodo removeatur tumulus tempore Missae, ac finita circa illum absolutione.“

Atque ita rescripsit die 10. Januarii 1852. N. 5166 ad 1.

## b) Capituli.

Vd. *Anniversar.* (dies annivers. ad libitum decr. n. 4669).

## c) Confraternitatum.

(Missae).

Vd. *Oratio in Anniversario. Anniversar.* (dies ad libitum).

Die immediate Commemorationem Omnium fidel. def. sequente, fratres tertii Ordinis s. Francisci strictae observantiae Congregationis Gallicanae officium et missam sol. tam pro Religiosis quam pro benefactoribus def. quolibet anno celebrant ideoque suplicant: utrum missa in die Commemor. Omn. fidel. def. posita dicenda sit cum oratione: *Deus veniae Larg. etc.* et loco *Fidelium*, an altera missa etc.? S. C. resp.: Missa dicenda est ut in anniversario. n. 3936 die 9. Dec. 1719.

*Ad dubium:* Ex consuetudine, vel ex Statuto quaedam Societates Laicales quotannis celebrant Anniversarium pro defunctis Societatis albo accensis cum Missa cantata, et Officio: pos-

suntne celebrare cum cantu Missam *de Requie* cum unica Oratione *Deus veniae largitor?*

S. eadem C. ... respondendum censuit: „Posse, si habeatur Indultum.“

Atque ita rescribere rata est, et declarare. n. 5111 ad 10 die 11 Sept. 1847.

## d) Dies anniversarius.

## 1) Ex dispositione Testatorum.

Vd. *Missae de Requie; Missa* (concord. cum Officio;) *Missae cantatae de Requie; Missae de Requie in die 3., 7. etc.; Altare privileg.; Missae conv. (oblig.) Anniversar.* (dies ad libitum decr. n. 4299.)

Potest Missa def. ex quodam testamento instituta, in diebus duplicibus cantari, ut Testatoris voluntas adimpleatur et licite eleemosyna relicta lucrari possit. n. 359 die 1. Sept. 1607.

Consortium Sacerdotum saecularium Civitatis Papien., non valens satisfacere anniversariis defunctorum, ad quae tenentur ex obligatione in diebus *ferialibus*, supplicavit, idem posse facere in *festis duplicibus*, non tamen de praecepto. S. C. resp.: „Posse.“ n. 800 die 17. Mart. 1629.

*Ad dubium:* an aliqua die infra octavam Corp. Chr. cantari possit Missa de Requie? S. C. resp.: Non obstat dispositio contraria, nempe, pro Testatore una die cujuslibet hebdomadae missam de Requie cantare. n. 2282 die 12. Julii 1664.

Anniversaria et missas cantatas de Requie relictas ex dispositione testatorum, quotannis in die ipsorum obitus, etiam in *duplici majori* contingentes, posse celebrari et non comprehendi in decreto die 5. Aug. 1662 de missis def. privatis non celebrandis in festo duplici. n. 2304 die 22. Nov. 1664; n. 2385 die 1. Dec. 1666; n. 3029 ad 4 die 24. Julii 1683; n. 3290 ad 1 die 13. Septbr. 1692; n. 3873 die 29. Sept. 1714.

Decreta authentica.

Orta exinde est difficultas: an ita intelligendum et explicandum sit decretum (die 22. Nov. 1664), ut nomine Anniversariorum seu in die obitus, ut sub eodem nomine et titulo intelligantur solum excepta Anniversaria, quae habent fixum et determinatum diem, in quo etc., an etiam intelligantur excepta et non obligatoria legata sive perpetua, sive temporalia, non habentia tamen certum diem, in quo etc., ita ut in his liberum sit cantare missam de Requie, vel non? S. C. resp.: Verba decreti intelligenda prout sonant pro missis de Requie cantatis relictis ex dispositione Testatoris quotannis in die ipsorum obitus, nec extendenda ad non habentia determinatam diem. n. 3014 die 23. Januarii 1683; n. 3329 die 27. Mart. 1694.

*Ad dubium:* an Anniversaria sive missae quot. cantatae de requiem relictas ex dispositione pro certis diebus iisque impeditis die dominico seu alio festo de praecepto, cantari possint in diebus subsequentibus seu antecedentibus, in quibus occurrunt Officia de dupl. maj., non tamen de praecepto, praecipue de Sanctis proprii Ordinis? S. C. resp.: Indulgeri posse, non relicta tamen missa in cantu de festo dupl. min. occurrente, quatenus adsit obligatio cantandi. n. 3110 ad 1 die 4. Maji 1686.

*Ad dubium:* an decretum de 22. Novbr. 1644 sit restrictivum, ita ut praedicta Anniversaria, et praedictae Missae de Requie relictas, ut supra, non possint celebrari, nec cantari in Festis primae, et secundae classis, quae non sunt de praecepto. Et dato, quod non sit restrictivum, an in praedictis Festis duplicis majoris, secundae et primae classis, ut supra, possint cantari Missae de Requie pro implenda devotione testatorum et haeredum, ac etiam pro cantandis illis Missis, quae feria secunda, prima cu-



juslibet mensis, pro omnibus Fidelibus defunctis praescribuntur?

Et S. R. C. censuit respondendum quoad primam partem: Decretum enunciatum comprehendere duplicia minora, et majora tantum, non autem duplicia altioris ritus: et quoad secundam, servetur Rubrica generalis Missalis tit. 5. num. 1.

Et ita declaravit. n. 3701 die 23. Aug., et 13. Sept. anni 1704.

*Ad dubium:* an liceat Anniversaria decantari *infra octavam SS. Corporis Chr.*, sicut servatur in festis duplicibus, non obstante prohibitione circa Missas de Requiem? S. C. resp.: Non sunt facienda nisi praesente corpore. n. 2561 ad 2 die 12. Sept. 1671.

S. C. facultatem indulsit parochis Ravennae nuncupatis „*la Congregazione Parochi*“ celebrandi singulis annis in perpetuum centum septuaginta tria Anniversaria pro animabus fidel. def. descriptorum et in posterum describendorum in dicto conventu, etiam in diebus fest. dupl. Sanctorum non de praecepto, non ommissa tamen missa conventuali. 2657 die 16. Sept. 1673.

S. C. Principissae de Sabaudia indulsit, ut ipsa celebrare facere possit singulis annis in principio mensis Oct., seu etiam, si in dicto die occurrat Officium dupl. translatum vel aliquis Sanctus Religionis illius Ecclesiae, solitum Anniversarium pro anima † Principis cum quatuor saltem missis de Requiem quibuscunque in contrarium non obstantibus. n. 2758 die 23. Nov. 1675.

*Ad relationem Cathedralis Taurin.:* Cum ex rubricis missalis et decretis S. C. prohibitum sit cantare missam votivam sive de Req. nisi praesente cadavere vel ex gravi causa in festis duplicibus, *infra octavam Epiph., Pasch., Pentec., Corp. Chr.*, ac in tota hebdom. majori, fer. IV. cinerum, vigil. Pentec. et Nativ. Dom., quaeritur, an *Anniversarium Regis vel Principis supremi*

reputandum sit causa gravis, adeo, ut in dictis diebus tale Anniversarium cantari possit? S. C. resp.: *Negative*, nempe, non posse cantari. n. 2847 die 20. Nov. 1677.

In praesenti anno (1681) celebrari potest Anniversarium Ducis Sabaudiae, non obstante, quod dicta die occurrit *Octava Solemnitatis Corp. Chr.* n. 2945 die 19. Apr. 1681.

Anniversaria et Missas cantatas de Req. relictas ex dispositione Testatorum quotannis in die anniversario eorum *obitus* etiam in dupl. maj. contingen. posse celebrari. Quo vero ad dies *tertium, sept. et triges.* S. C. resp.: *Negative*, sed celebranda de festo dupl. cum applicatione Sacrificii. n. 2995 ad 1 die 22. Aug. 1682.

*Ad dubium:* an illis diebus, quibus cadunt festa dupl. per annum etiam translata et per eorum octavas et in diebus octavis, possint celebrari Anniversaria cum Missa cantata de req., ad quae tenetur Consortium s. Syri civitatis Papien. juxta disposita Testatorum, respective pro singulo mense, quia etiamsi die non impedito duo Anniversaria celebrentur, nihilominus omnia adimpleri non possunt in anno? S. C. resp.: Servetur decretum de die 22. Nov. 1664 (quod est supra). n. 3113 die 4. Maji 1686.

In anniversario occurrente in festo dupl. 2. cl. non potest cantari missa de Requiem. n. 3477 ad 7 die 5. Julii 1698.

Gavantus dicit: missam paroch. sine cantu esse privatam. Ideo dubium, utrum in Ecclesiis parochial. ruralibus, in quibus per annum plerumque unus tantum Sacerdos celebrat et sine cantu, possit dici missa de Requiem, quando Anniversaria ex *testatorum dispositione* eorum recurrente obitus die, vel quando dies 3. 7. et 30. incidunt in festum dupl. min.? S. C. resp.: Quoad mis-

sas et anniversaria *recurrente obitus die:* affirmative. In reliquis *negative*, et servetur decret. gen. sub 5. Aug. 1662: „Cum SSmus.“

(Vd. *Missa de Req. privata. decr.* n. 2178). n. 3565 ad 9 die 19. Junii 1700.

*Ad dubium:* Utrum ex *priv. devotione* Parochianorum petentium saepius per annum Anniversaria pro defunctis parentibus, fratribus et aliis defunctis missa sol. in ruralib. Ecclesiis cantari possit de Requiem in festo dupl. min., altera missa cantata de festo, ubi ad-sunt plures vel saltem duo Sacerdotes? S. C. resp.: Affirmative, dummodo sermo sit de die vere anniversaria a die obitus. n. 3565 ad 10 die 19. Junii 1700.

Si missae de Requiem sint anniversaria, contentur in illis diebus, quibus defuncti sunt pii Institutores, etiamsi in illis diebus celebrentur Officia sub ritu dupl.; quodsi missae de Req. non sint anniversaria aut non constet de diebus, quibus illi mortui sunt, plures missae de req. contentur in illis diebus, in quibus celebrantur Officia sub ritu simplici vel semidupl., numquam tamen pro iisdem applicari poterunt missae conventuales. n. 3782 die 10. Mart. 1708.

Cum ex parte Beneficiorum Ecclesiae Parochialis S. M. Magdalenae loci de Albitos Dioecesis Tirasonen. expositum fuerit, quod in dicta Ecclesia pro adimplendis oneribus, juxta dispositionem Testatorum, multa Anniversaria celebrari debeant; cumque ob occurrentiam Festorum duplicium Missas cantatas de Requiem celebrari posse dubitatum fuerit; propterea Beneficiati praedicti pro hujusmodi declaratione S. R. C. humillime supplicaverunt.

Et S. eadem R. C., juxta alias resoluta, declaravit: „Anniversaria, et Missas cantatas de Requiem *relictas*

*ex dispositione Testatorum* quotannis in die ipsorum obitus posse celebrari, Missa solemniter cantanda de Sancto duplici occurrente minime praetermissa.“

Et ita decrevit. n. 3872 die 15. Sept. 1714.

Anniversaria pro def. possunt celebrari in dupl. maj. dummodo sint dies propriae et assignatae a testatore, non tamen in festis de praecepto. n. 4175 ad 7 die 4. Sept. 1745.

*Ad dubium:* an Religiosi SS. Trinitatis Portugalliae nocturnum Officii defunctorum in die octavo obitus cunjuslibet Religiosi canere et similiter in die 30. et Anniversario obitus, unamque missam de req. in missali pro dictis diebus assignatam celebrare possint, etiam occurrentibus duplicibus vel dominica, sin minus prima die non impedita vel ante vel post diem octavum, 30. vel Anniversarium? S. C. resp.: Dentur decreta sub die 15. Sept. 1714. n. 3925 ad 1 die 11. Mart. 1719.

## 2) Ad libitum.

(Vd. *Missa sol. cantata de Req.; Annivers. in quatuor temp.*)

*Ad dubium* PP. Minor. in Angelorum Provincia: Cum juxta Constitutionis Ordinis nostri quatuor fieri debeant quotannis anniversaria pro universis fratribus, propinquis et benefact. et Patribus et Matribus Fratrum omnium; Quaeritur: an haec anniversaria celebrari possint in festo dupl. minori? S. C. resp.: Quatuor anniversaria *celebranda non esse in occurso cujuscunque duplicis*, etiam ritus dupl. minoris. n. 4549 ad 3 die 25. Augusti 1818.

*Nota Gardell. ad hoc decr.:*

Praemittenda est Breviarii trium Ordinum Rubrica num. 214: *Quatuor a nostratibus Officia generalia pro defunctis debent quotannis fieri. Tri-*



pro universis Fratribus, eorumque, et nostris propinquis, et benefactoribus; quartum pro Patribus et Matribus Fratrum omnium etc. His addendum generalissimum aliud pro Fratribus, et Sororibus omnium statuum trium Ordinum etc. Et relate ad illa, quae generalia sunt, sed non generalissima, altera attendi debet Rubrica num. 222 videlicet: Pro aliis vero quatuor Officiis praeter dies pro generalissimo impeditos, impediti quoque sunt illi, in quibus duplicia minora quaecumque vel occurrunt, vel reponi debent. Posita autem hac rubrica, quae sit ratio dubitandi quoad primam Dubii partem, non intelligo; quandoquidem regula celebrari vetat quatuor illa generalia Anniversaria in occurso Officii etiam ritus dupl. min.: forte enim huic quaestioni occasionem dederunt plura Decreta in hac Collectione legenda, quibus declaratur Anniversaria quaedam celebrari posse etiam in occurso Festi ritus dupl. maj. Sed quaenam sunt Anniversaria, quae hoc gaudent privilegio? Non alia praeter illa, quae ex dispositione Testatorum quotannis, recurrente ipsorum obitus die, solemniter cum cantu celebranda sunt. Haud igitur privilegium hujusmodi trahi potest ad alia Anniversaria, quae pro lubitu fiunt, aut ex consuetudine, aut ex quadam lege Instituti, aut ex alia quacumque causa. Nemo ignorat, privilegia stricte esse accipienda, neque extendi posse ad casus non expressos. Itaque nedum attenda peculiari Franciscanorum rubrica de non celebrandis Anniversariis in quocumque Festo ritus dupl., et S. hujus C. Decreto in una Ordinis Minorum de Observantia S. Francisci Provinciae majoris Poloniae 11. Maji 1754, quatuor illa Anniversaria, de quibus in dubio, celebrari minime poterunt in occurso cujuscumque Festi ritus duplicis per annum.

Ad dubium Confraternit. Clericorum Sacerdot. Ulixbonen.: an in fer. 2. post Dominicam infra octavam Omni. SSrum., festo classico non occupata, in qua pro animabus Confratrum cantatur Officium def. cum solemnitate, cantari debeat missa de Requiem? S. C. resp.: Pro gratia, quando Anniversarium fiat in festo dupl. min., quodsi Anniversarium contingat in festo altioris ritus, debet illud praecedenti die celebrari. n. 4072 ad 2 die 8. Martii 1738.

Confratres Confraternit. Mortis Januen. speciali Instituto solent qualibet fer. 2. a festo dupl. minime impedita in Oratorio Confratern. recitare Officium def. et assistere Missae de Req., quae in cantu celebratur pro anima cujuslibet confratris nuperrime defuncti, eoque deficiente, pro universitate eorundem confratrum; verum quia ob frequentiam SSrum. duplicium occurrentium in dictis feriis 2. saepius dicta missa dici non potest in cantu celebrari, confratres supplicarunt, quatenus ad promptius Suffragium praestandum Animabus eorum confratrum facultatem celebrandi in Oratorio singulis fer. 2. etiam a festo dupl. impeditis, unicam tantum missam in cantu impertiri dignaretur. S. C. resp. et Oratoribus gratiam petitam exceptis tamen dupl. 1. et 2. cl. ac festis de praecepto benigne concessit. n. 4116 die 8. Julii 1741.

Cum ex particula Calendarii Ecclesiae Sapientiae Urbis praescriptum sit, singulis annis diebus Mercurii, Veneris et Sabb. ultimae hebdomadae Carnisprivii tempore vacationum a studiis, tres celebrandas esse exequias; cumque eadem juxta decreta enunciatis diebus ob occurrentiam SSrum. duplicium minime peragi nec ad aliam diem ratione assistentiae Advocatorum Consistor. et Professorum transferri possint: propterea pro indulto illas in

posterum celebrandi in praefatis diebus etiam Sancto dupl. occurrente supplicatum fuit. S. C. resp.: Hujusmodi instantiae juxta petita annuendum esse. n. 3996 die 20. Febr. 1731.

Ubi adest consuetudo cantandi missam de Req. pro Confratribus alicujus Societatis die immediate sequente festum Patroni ipsius Societatis, poteritne missa praedicta cantari, etsi ea die recitetur Officium duplex, modo non sit festum de praecepto feriandum aut 1. classis? S. C. resp.: Tenore decreti 19. Sept. 1654, a confratribus Societatis non possunt celebrari exequiae, nisi in prima die non impedita ab Officio duplici. n. 4175 ad 7 die 4. Sept. 1745.

Ad dubium: an missae de Req. possint cantari pro benefactoribus def. ad petitionem haeredum quavis die, etiamsi non sit dies obitus, vel anniversarii, occurrente festo dupl. maj. et minori sed non de praecepto seu festivo? S. C. resp.: Negative. n. 4244 ad 4 die 11. Maji 1754.

Ad dubium: an Fratres ord. Min. Portugalliae infra octav. Omnium SS. Anniversarium pro animabus regis Petri II. et reginae Mariae nec non alia tria anniversaria pro omnibus def. Religiosis Provinciae eorumque parentibus et Provinciae Patronis sol. celebrare possint illis diebus ab officio dupl. impeditis? S. C. resp.: Quoad primum Annivers. pro gratia, in reliquis servetur decr. Alex. VII. 5. Aug. 1662. n. 4249 ad 1 die 11. Januarii 1755. (Hoc decr. est sub: Missa priv. de req. in dupl.; decr. n. 2178.)

In Ecclesiis, in quibus anniversaria celebrantur undecimo mense a die obitus, si illa die occurrat Off. dupl. non festivum, potest cantari missa de Req., ac in ipsa die anniversaria, dummodo dies illa vel ex locorum consuetudine vel ex testatorum dispositione statuta et fixa sit pro celebrandis di-

ctis anniversariis. n. 4299 ad 12 die 3. Mart. 1761.

Ad dubium: Utrum ex privata devotione Parochianorum petentium saepius per annum Anniversaria pro defunctis parentibus, fratribus et aliis defunctis missa sol. in rural. Ecclesiis cantari possit de Req. in festo dupl. minori, altera missa cantata de festo, ubi adsunt plures vel saltem duo Sacerdotes? S. C. resp.: „Affirmative, dummodo sermo sit de die vere anniversario a die obitus. n. 3565 ad 10 die 19. Junii 1700.

Ad dubium: Anniversaria, quae celebrantur a Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus etc. pro omnibus in genere Canonicis, Confratribus etc. defunctis possuntne celebrari, si in illis diebus occurrat Officium duplex? S. C. resp.:

„Negative juxta Decreta praesertim in Corduben. diei 5. Dec. 1733.“ n. 4669 ad 55 die 12. Nov. 1831.

Ad dubium: Quando Officium solenne, seu Anniversarium pro Animabus omnium defunctorum Confratrum alicujus Congregationis fit in festo dupl. maj., poteritne cantari Missa de Requie, praesertim ubi jam adest antiqua praxis, et consuetudo?

Et S. eadem C. respondendum censuit: „In duplicibus non licere Missam de Requie nec cum cantu celebrari absque Apostol. Indultu hujus S. S.

Atque ita rescripsit, propositaque Dubia rata est declarare. n. 5146 ad 5 die 7. Sept. 1850.

e) Dies fixus.

Capitulum Cathedr. Neriton. supplicavit, ut Anniversaria, ut hactenus ex permissione Episcoporum egerunt, possint in posterum in feriis secundis cujuslibet hebdomadis, licet a testatoribus certis diebus assignata, absolvere; S. C. resp.: Tuta conscientia nullatenus



potuisse nec posse hujusmodi consuetudinem introducere et retinere. n. 1851 die 17. Nov. 1657.

f) In die obitus.

Vd. *Anniversar. (ex dispos. testat.)*; *Anniversarium* (transl.; dies).

Missae de Requiem possunt cantari in Ecclesiis Regul. Minor. Provinciae Poloniae pro benefactoribus def. in die obitus illorum occurrente festo dupl. minori et majori, sed non de praecepto seu festivo. n. 4244 ad 3 die 11. Maji 1744.

g) Infra octavas privileg.

Anniversaria adimplenda non sunt infra octavas privilegiatas. n. 4119 ad 4 die 2. Sept. 1741.

(Vd. *Anniversar. transl. — dies — decr. n. 3604*).

4) Episcopi defuncti.

a) Assistentia Canonicorum.

Canonici Cathedralis Nicoterae tenentur assistere celebrationi diei anniversariae obitus Episcopi praedecessoris immediati absque ulla recognitione. n. 3713 die 21. Mart. 1705.

b) Obligatio.

Vd. *Tumulus*.

Episcopus Egitanus conquestus est de Canonicis Cathedr. renuentibus facere Anniversarium pro Episcopo praedefuncto sub praetextu, quod in Constitutione synodali super anniversario Episcopi praedefuncti sit apposita poena, quae non reperitur in Caeremoniali. S. R. C. mandavit: Servari Caeremoniale et contravenientes multari in poenam constitutionis synodalis. n. 848 die 16. Febr. 1630.

*Ad dubium*: Caditne sub praecepto Anniversarium pro antecessore Episcopo defuncto omnibus annis, ut in Caeremoniali?

Et S. eadem R. C... respondendum censuit, ut infra sequitur, videlicet:

„Affirmative.“

Atque ita statuit, et decrevit, die 11. Martii 1820. n. 4565 ad 9.

NOTA GARDELL AD HOC DECRETUM:

Nedum decet, verum etiam omnino debet Anniversarium celebrari pro Episcopo ultimo loco defuncto. Rubrica namque *Caeremonialis lib. 2, cap. 36* praeceptivis utitur verbis:

*Episcopus vivens Praedecessoris sui proxime ante ipsum defuncti memoriam habere debet, et pro ejus Anima singulis annis in die obitus anniversarium celebrare, vel saltem Missae pro ejus anima ab aliqua Dignitate, vel Canonico celebrandae praesens assistere, et in fine absolvere.* Ideo S. R. C., instante Episcopo Signino pro declaratione dubii: *An ipse posset compellere Canonicos ad canendam Missam pro Anniversario Episcopi ultimo loco defuncti?* Eadem S. C. sub die 23. Nov. 1653 respondit: *In hoc servandam esse dispositionem Caeremonialis*: quod perinde valet, ac si respondisset: *affirmative, et compelli posse Canonicos ad praescriptum Anniversarium, quod Caeremoniale omnino praecipit per verbum „debet.“*

*Ad dubium*: an quotannis in Cathedr. Tiburtina celebrandum sit anniversarium pro anima ultimi Episcopi defuncti, die ipsius obitus recurrente, quod nunquam fuit celebratum? S. C. resp.: *Affirmative.* n. 4603 ad 4 die 27. (30.) Mart. 1824.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Est certe mirandum, quod in Cathedrali Tiburtina numquam celebrari consuevit Anniversarium pro ultimo Episcopo defuncto, secus ac jubent Caeremoniale Episcoporum, et Concilium provinciale Romanum. Illud nam-

que districte id praecipit *lib. 2, cap. 26*: *Episcopus vivens Praedecessoris sui proxime ante ipsum defuncti memoriam habere debet, et pro ejus anima singulis annis in die obitus celebrare, vel saltem Missae ab aliqua Dignitate, vel Canonico celebratae assistere, et in fine absolvere.* Praeceptiva pariter sunt duo Anniversaria, quae in praefato Concilio *tit. 15, cap. 5*. praescribuntur pro defunctis Episcopis: *Et ipsius Caeremonialis Episcoporum mandato in universis cujuscumque Civitatis, et Dioecesis Cathedralibus, et Collegiatis aliisque conventualibus, seu receptitiis Ecclesiis, praeter solemne Anniversarium pro ultimi defuncti Episcopi anima in ejus die obitus celebrandum, alterum etiam per singulos annos agendum decernimus in perpetuum pro omnibus propriis Dioecesis Episcopis infra praedictam fidelium omnium defunctorum Octavam.* Sed quod magis admirationem excitat, est audire, quod numquam hoc Anniversarium celebratum sit contra expressum praeceptum, quod legitur in Synodo Tiburtina *tit. 11. de Sacrificiis Missarum 7*: *praeter solemne Anniversarium pro Anima ultimi Episcopi defuncti in ejus die obitus celebrandum, alterum etiam per singulos annos agendum decernimus pro omnibus hujus Dioecesis Episcopis etc., ad quae Anniversaria omnes omnino Canonici, et Beneficiati convenire sub poena punctaturae teneantur.* Meum non est tantae ascitantiae originem, et causas scrutari; nemini forte ex illis, qui modo Capitulum, Clerumque Cathedralis componunt, id culpae vertendum est, imo potius commendandi omnes sunt, si ad Sacram Congregationem una cum Episcopo confugerunt, ut docerentur, quid ab ipsis in posterum agendum sit. Modo igitur composita res est, postquam proposito Dubio responsum fuit:

*Affirmative.*

*Ad dubium*: Caeremoniale Episcoporum *lib. 2. cap. 20.* injungit Episcopo, ut memoriam habeat praedecessoris sui proxime defuncti: Quid faciendum, si proximus Praedecessor translatus sit ad aliam Ecclesiam. S. C. resp.:

„Illius Episcopi, qui decessit Cathedralis tenens.“ n. 4669 ad 18 die 12. Nov. 1831.

*Ad dubium*: an Episcopus possit compellere Canonicos ad canendam missam in Anniversario ultimo loco defuncti Episcopi? S. C. resp.: Servari Caeremoniale. (*Lib. II. c. XXXVI.*) n. 1690 die 22. Nov. 1653.

*Ad dubium*: Omissum semper fuit Anniversarium pro ultimo Archiepiscopo defuncto ex *cap. 36 lib. 2* Caeremonialis, cura et impensis Capituli quotannis faciendum. Putant quidam Canonici se ad id non teneri tum quia omni tempore factum est ita, tum quia superiores Archiepiscopi, si aliquibus cordi fuit hoc annuo suffragio post mortem frui posse, congruos census Mensae Capitulari in perpetuum legarunt? S. C. resp.:

„Servandam esse dispositionem Caeremonialis.“ n. 4672 ad 14 die 12. Nov. 1831.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Non alia dari poterat ad hoc dubium responsio, quam ea, quae data est, quaque ad servandam Caeremonialis dispositionem quisque tenetur: tam enim clara, tam absoluta est haec dispositio, ut nullum prorsus dubium super ea possit excitari. Hinc mirum est quomodo hoc dubium Sacrorum Rituum Congregationi proponi potuerit. Quod fuerit semper omissum, omissioni non favet, neque idcirco in posterum omitendum, quia huc usque fuit omissum: aliter per omissiones Leges omnes inutiles essent, et brevi deperirent, quod absurdum omnino est. Omitti